

fus & afflictus, & à peccatoribus passus: hoc est, nunquàm mihi occidisti hœdum, hoc est humiliasti peccatorem, ut inuenirem uel paruam quietem. Qualis hœdus erat Eliæ Achaab. Persequebatur enim prophetam, & non dedit dominus hœdum statim ad occidendum, ut parumper refocillaretur, & quiesceret cum amicis prophetis suis. Proinde de dicit ad deum: Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subuerterunt. Hœdus Davidi erat Saul, & omnes qui calumniabatur eum, quibus permittebat dominus tentare eum, & non occidit ut lætaretur David, ideo & dicebat: Usquequo peccatores domine: usquequo peccatores gloriabuntur? Hæc dicit in Euangelio & filius, quum in multis esset laboribus, & nullam fuisset affecutus cōsolationem: Neq; aliquem ex perse quatoribus meis morti tradidit: nūc autem ita facile saluat prodigum. Hic igitur totus scopus parabolæ est, propter pharisæos obmurmurantes quod peccatores susciperet: qua docet, etiam si iusti simus, non repellendos peccatores, neque obmurmurandum expectante illos deo. Filius igitur iunior, sunt meretrices & publicani: senior uero pharisæi & scribæ, secundum materiam parabolæ iusti intelliguntur, quasi dicēte deo: Esto, uos sitis uere iusti, nullumq; transgressi mandatum: non oportet igitur assumi eos qui à peccatis cōuertunt. Tales itaq; sunt, qui obmurmurāt in parabola. Non ignoro autem, quod quidam per seniore filium angelos exponunt: per iuniorem autem, humanā naturam, quæ tumultuata est, & dato mādato uacauit delicijs. Alij uero Israëlitas & Gentiles. Verum autem hoc tenēdū est quod diximus, quia filius senior personam gerit iustorum iunior autem peccatorum, & se conuertentium. Totus autem parabolæ contextus propter pharisæos est positus, ut doceat eos dominus, ne ægre ferant susceptionē peccatorum, etiam si ipsi iusti essent. Nullus ergo iudicia dei grauatim ferat, sed gratum sit ei, si peccatores feliciter agant & saluentur. Qui enim scis, si is quem tu peccatorem censeres, poenitentiam agens, gratior fiat? Quid item si occultas habet uirtutes, & ea propter à deo benigne respicitur?

C A P V T X V I.

Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem: & hic delatus est apud illum, ut qui dissiparet bona ipsius. & uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris posthac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere non ualeo, mendicare erubescō: scio quid faciam, ut quum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum baros olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuā, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuā, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quod prudēter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos ex mammona iniquo: ut quum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. ¶ Omnis parabola oblique & figurato modo, rerum quarundam naturam manifestat, non per omnia rebus illis assimilata propter quas assumpta est. Idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito utiles: reliquæ enim sinendæ sunt, quasi parabolam contextentes, & nihil ad propositum conducentes, quomodo & in proposita parabola faciundum. Nam si per tenues particulas omnes exponere tentauero, quis dispensator, quis dispensatoris dominus, & à quo delatus sit, & qui debitor, & propter quam causam, illē quidem oleum, alius autem triticum, & qua de causa centum debere dicantur: & si alia omnia perquisiuerimus, obscurum & molestum sermonem faciemus: & fortassis, si ualde trāsitauerimus, etiam ridiculi erimus. Igitur tantum utilitatis oportet ex præsentī parabola capere, quantum possibile est. Et, ut aliquid dicam, dominus hoc loco uult nos docere, ut bene dispensentur creditæ nobis diuitiæ. Et primum hoc discimus, quod nō su-

mus domini diuitiarum. Nihil enim habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à domino sunt nobis concredita, ut bene illas dispēsemus, sicut ipse imperat. At si non expenderimus concreditas diuitias iuxta mentem domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur. Voluntas enim domini est, uti datis in usus conseruorum, non in proprias delicias. Porro qui accusantur & destituuntur à dispensatione diuitiarum: hoc est, sunt qui ex hac uita emigrant, quando scilicet & rationē dabimus de dispensatione, quā destituti fuerimus. Si prudētes essemus, uel tarde sentiremus quid facto opus, & faceremus nobis amicos ex diuitijs iniustitiæ. Dicuntur autem diuitiæ iniustitiæ, quas dominus dedit nobis ut insumamus in usus fratrum & conseruorum: nos autem nobis depositas tenemus. Verū uel tarde sentiamus quò feramur, & quod quā dies illa uenerit, neque laborare poterimus. Nō em̄ tūc erit operandi tempus, neque tūc honestum erit mendicare. Stultæ enim uirgines dicuntur quæ mendicant. Quid igitur reliquum, quā ut participes faciamus fratres harum diuitiarum, ut quando hinc defecerimus, hoc est ex uita hac excesserimus, accipiant nos pauperes in æterna tabernacula. Aeterna enim tabernacula constituta sunt, in quæ possint recipere eos, qui hic ipsis amice de bonis quæ sunt dominica, largiuntur. Pauperibus enim primum debemus dare: nam illi

psal. 36. debitores sunt, secundum hoc quod dictum est: Tota die miseretur & cōmodat iustus.

Proverb. 19. & iterum: Qui miseretur pauperi, foeneratur deo. Oportet igitur primum dare bonis illis debitoribus, qui centupla reddunt. Verum quia dispensatores iniustitiæ inuenimur, iniuste retinentes quæ alijs seposita sunt, non semper manendum erit in hac infidelitate, sed communicandum pauperibus, ut ab ipsis suscipiamur in æterna tabernacula. Sic igitur nobis exponentibus parabolam, nihil uel superfluum, uel curiosum, uel somniciosum enarrando occurreret. Videtur autem & alienum quiddam significare, dicēs: Filij huius seculi prudentiores sunt &c. Non autem male cohæret, neque alienum est. Filios enim huius seculi, dicit eos qui laudant omnia quæ in terra lucrosa sunt: Filios uero lucis, eos qui debent pie spirituales diuitias communicare. Hoc igitur dicit, quia homines humanis dispensationibus præfecti, omnibus modis curam habent, & prouident ut quum destituti fuerint à dispensationis munere, consolationem habeant: Filij autem lucis ordinantur, hoc est quibus concredita est spiritualis rerum dispensatio, non cogitant quomodo post hanc uitam commodum percipiant. Filij itaque seculi huius, quibus humanæ dispensationes concredita, & in generatione sua, hoc est in uita hac prudenter res suas dispensant: Filij uero lucis, qui pecunias receperunt, ut illas in pios usus dispensent. Inuenimur itaque in humanis dispensationibus res nostras prudenter dispensare, ut etiam si administratione exciderimus, habeamus quoddam refugium uitæ. In his autem rebus quæ debent secundum deum dispensari, nullam uidemus gerere curam, quomodo rationem demus dispensationis, ex hac uitaeducti, ne inueniamur ab omni consolatione destituti. Ideo & insipientes uocamur, nō sapientes ea quæ nobis posthac sint profutura, & quomodo faciamus nobis pauperes amicos, cōmunicatis eis diuitijs iniustitiæ, hoc est his quæ data sunt nobis à deo, ut sint arma iustitiæ: sed à nobis detinentur, & propterea ad iniustitiam pertinet. Si autem diuitiæ quæ iustis modis partæ sunt, si quando non bene dispensantur & dantur pauperibus, iniustitia & mammonas reputantur: quæ ex iniustitia, multo magis. Ex ipsis igitur faciamus nobis amicos, ut quando defecerimus, & ex hac uita emigrauerimus. Vel etiam aliter: Quando pusillo animo sumus, & illic condemnatur, accipiant nos in æterna tabernacula.

Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est: & qui in minimo iniquus est, is & in multo iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod uerum est, quis credet uobis? Et si in alieno fideles non fuistis: quod uestrum est, quis dabit uobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim hunc odio habebit, & alterum illum diliget: aut huic adhærebit, & alterum illum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ.] Adhuc docet quomodo secundum deum dispensandæ sint diuitiæ. Qui enim fidelis est in minimo, hoc est qui bene dispensauerit concreditas sibi diuitias in hoc mundo, etiam in multo fidelis est, hoc est in futuro seculo reuera diuitijs dignus est.

Minimum

Minimum igitur uocat terrenas diuitias, ut reuera paruas, immo quæ nihili sunt, quandoquidē transitoriae sunt; multum uero coelestes, utpote semper duraturas, & quibus semper accedit. Qui uero in his terrenis diuitijs iniustus apparuerit, & sibi uindictat quæ in communem usum fratrum sunt concessa, neq; illo multo dignus inuenietur, sed sicut iniustus repudiabitur. Interpretans autē quod dictum est, addit: Si in iniusto mammona fideles non fuistis: quod uerum est, quis uobis credet? Iniustum mammonam nominant diuitias, quæ apud nos sunt. Nam si non essent iniustæ, neq; apud nos essent: nunc autē quia apud nos sunt, manifestum quod tenentur, & pauperibus non distribuuntur: hoc autem est uendicare sibi res alienas, atq; eas quæ pauperum, id quod iniustitiæ est. Itaq; ei qui diuitias illas male dispensat & infideliter, non bene dispensat aliena, hoc est bona, & pecunias quæ ad pauperes pertinent, quomodo ueræ credentur diuitiæ? Vel aliter, quum nihil attulerimus in hunc mundum, nudiq; in hunc mundum nati simus, nostrum quis aliquid dabit? Nostræ autem sunt diuitiæ coelestes & diuinæ. Illic noster municipatus est, eo quod homo ad imaginem dei conditus. Pecuniæ autem & possessiones aliena sunt, nihil enim simile illi ex his. Diuinorum autem bonorum fruitio, & participatio dei, nostra sunt. Igitur hucusq; docuit nos dominus, quomodo fideliter dispensandæ sint diuitiæ: alienæ em̄ sunt, & non nostræ. Nos enim dispensatores sumus in nomine domini. Quoniam autem dispensatio diuitiarum iuxta deum non aliter fit recte, nisi absint erga illas etiam affectiones, quod hac doctrina dixit: Non potestis deo seruire & mammonæ: hoc est, impossibile est simul addictum esse mammonæ, & tali affectione detentum seruire deo. Atq; ita si uis fideliter dispensare diuitias, non seruias eis, hoc est non tenearis affectione erga illas, & profecto seruias deo. Vbiq; enim amor pecuniæ taxatur, hoc est affectio erga illas & studium.

Audiebant autem hæc omnia & pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis uosipsum coram hominibus, deus autē nouit corda uestra. Quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram deo. Pharisei quidam deridebāt dominum, eo quod sermonibus illis notarent. Grauatim enim ferunt auari, siquando de paupertate audiunt: quoniam & dictum est: Abominatio est peccatorum pietas, & reprehensiones impio sunt flagella. Dominus autem retegens occultam eorū malitiam, & ostēdens eos simulare iustitiam, & abominabiles esse apud deum, propter opinionem quam de se habebant, dicit: Vos estis qui iustificatis uosipsum, opinantes solis uobis datum noscere quæ oportet docere: & ideo deridetis meos sermones, cupientes haberi à multitudine doctores ueritatis. Sed non sic: Deus enim noscit corda uestra, & abominabiles uos existimat, propter superbiam & humanæ gloriæ cupiditatem. Quod enim sublime in hominibus, abominatio apud deum est. Immundus enim apud dominum omnis superbus corde. Oportebat igitur uos, o pharisæi, non ad humanam uiuere opinionem: deus enim disperfit ossa eorum, qui hominibus placent: sed iustificare uos coram deo. Psal. 52.

Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum dei annunciat, & quis uis in illud uim facit. Facilius est autem cœlum & terram præterire, quàm legis unū apicem cadere. Quisquis dimittit uxorem suam, & alteram ducit, adulterium committit: & qui dimissam à uiro ducit, adulterium committit. Videntur hæc separatim dicta, & cum superioribus non coherere, sed attendenti uidebuntur non male cōsectanea. Nā quia ipse paupertatem in superioribus docuerat, uocando diuitias iniustum mammonam: lex uero benedictiones & in diuitijs dabat, & prophetæ bona terræ pmittebant: ut ne quis dicat ei irridens sicut pharisæi, Quid tu dicis? contrarius es legi: illa & in diuitijs benedicit, & tu paupertatem doces? propterea dicit: Lex & prophetæ usq; ad Ioannem habuerunt tempus. Et bene quidem docebat, nempe ita auditorum infirmitate postulante. A quo autem tempore Ioannes propter paupertatem, materia ferè carebat, & sine possessionibus uersabat, regnumq; cœlorū prædicabat, nō ultra bona terrena huic temporari debent, sed regnum cœlorum prædicatur. Proinde & paupertatem in terra de beni seruare hi, qui cœlos desyderant. Quoniā prophetæ & lex non memores fuerunt

regni cœlorum: meritò bona terræ promittuntur imperfectioribus, & nihil uirile, uel magnum intelligere ualentibus. Atq; ita, ò pharisæi, meritò paupertatē doceo, eo quod imperfecta legis præcepta iam non habent tēpus. Insuper ne dicant, reiecta omnia quæ in lege sunt dicta, quasi uana sint & inutilia. Nō hoc dicit, sed magis implent & p̄ficiuntur. Quæcūq; enim illa adumbravit, ea dixit de Christo figuraliter. Et quantum ad leges attinet, etiam ipsæ nunc implentur: & nihil in his usq; ad extremum apicem intercedit. Et quæ de Christo illic per umbram subindicata sunt, nunc perficientur clarius. Et mandata legis quæ tūc data, pro imperfectorum sensu congruenter data, nūc sublimiorem & perfectiorem sensum habitura sunt. Lex enim imperfecte imperfectis locuta est, quod hinc manifestum. Nam de solutione nuptiarū, iuxta duriciem cordis Iudæorum respondit, ut quum odio habuerit uir uxorem, potestatem habeat dimittendū eam, ne deterius quid fiat. Homicidæ em̄ erant & sanguinarij, & neq; proprijs parcebant, quandoquidem & filios & filias dæmonibus immolabāt: sed humilitas & imperfectio legis talis erat. Tempus enim eiusmodi legislationis tunc erat, nunc autem alia perfectiore doctrina opus est, idcirco & dico: Omnis qui dimittit uxorem, excepta causa fornicationis, & ducit uxorem aliam, adulterium committit. Vnde haud mirum, quamuis nihil tale de paupertate lex manifeste docuerit, ego de paupertate disserā. Ecce quum de solutione matrimoniij lex humiliter præceperit, propter eadē Iudæorum: ego autē ad perfectiora exercens auditores, repudiū absq; rationabili causa prohibeo: non illi contraria docens, sed magis uoluntatem eius perficiens. Mens enim legis erat, ne homicidia fierent inter uirum & uxorem: hoc & ego intendo, eo quod doceam coniuges mutuā inter se curā gerere, & parcere alterū alteri ut mēbris proprijs: id quod & lex uolebat. At quoniā imperfecti erant auditores, decreuit ille cōiugij solutionem, ut uel sic sibi mutuū parcerent, & non in se inuicem insanirēt uir & mulier. Statuit igitur Christus omnia quæ ad legem pertinent, & ita bene dixit, quod impossibile sit unum apicem de lege cadere. Quomodo enim decideret, quum magis à Christo corrigeretur?

Matth. 5.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulcerosus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mēsa diuitis. Sed & canes ueniebant, ac lingebant hulcera eius. Accidit autem, ut moreretur mēdicus, & deportaretur, ab angelis in sinū Abraham. Mortuus est autē & diues, ac sepultus est. Bene sequunt hęc ad superiora: quia prius docuerat ut nos recte circa diuitias gereremus, meritò coniungit & hanc parabolam, in eandem ferentem sententiam per exemplum diuitis. Parabola enim est & hęc, & non (ut quidam opinati sunt) historia. Nondum enim separata erant iustis bona, & peccatoribus contraria: sed figurauit sermonē dominus, ut im misericordes doceat qualia eis euentura sint, & iterum doceat eos qui hic affliguntur, quam bene habituri sint pro his quæ hic sustinent. Diuitem igitur hoc loco, absq; nomine in parabola assumpsit, utpote qui neq; dignus sit, qui à deo nominetur, sicut & per

Psal. 15.

prophetam dicit: Non memor ero nominum illorum per labia mea. Nomen autem pauperis memorat. Iustorum enim nomina in libro uitæ scripta sunt. Fert enim Hebræorum traditio, Lazarum quendam per illud tempus extrema inopia & infirmitate laborasse, cuius memor fuerit dominus in parabola hac, utpote noti & manifesti. Diues igitur omnino dissolutus erat: nam purpuram & byssum induebatur, & præterea omnibus alijs delicijs uacabat. Epulabat enim dicit, & non nunc tantū, & postea nō, sed quotidie: & non mediocriter, sed splendide, hoc est sumptuose & prodigaliter. Lazarus uero pauper erat & infirmus, atq; grauiter. Hulcerosus em̄, inquit, erat. Aegrotāt alijs, sed hulceribus carēt: hic autem grauiore malo affligebatur, & ad uestibulum diuitis iacebat: ecce alius dolor, uidere alios in delicijs, se autem fame premi. Desyderabat enim inquit, satiari: non sumptuosis ferculis, sed de micis eius, & illis quibus satiabātur canes. Insuper destitutus erat ab omni cura, & canes lingebant hulcera eius, quū nemo esset qui ab illo istos depelleret. Num igitur Lazarus in tātis malis blasphemabat? num conuiciabatur? num incessebat luxum diuitis? num inhumanitatem condemnabat? nū pro uidentiam

uidentiam dei reprehendebat: Nihil horum, sed fortis erat & magnæ philosophiæ. Vnde manifestum: Ex his, quod angeli ipsum mortuum susceperunt. Nam si obmurmurator fuisset & blasphemus, neutiquam tantum honorem fuisset consecutus, & angelorum comitatu stipatus. Mortuus est autem & diues, ac sepultus est. Nā profecto etiam quū uiueret, sepulta erat anima eius, carnem quasi sepulchrum circumferens. Et ideo quum moreretur, nō ab angelis assumptus est, sed in infernum deductus. Nam qui nihil sublimē, nihilq; coeleste cognouit unquam, infimo loco dignus. Dicendo enim, quod sepultus sit: insinuat obiter dominus, quod & anima eius locum infimum & caliginosum sortita fuerit.

Atq; in tartaro sublati oculis, quum esset in tormentis, uidet Abraham eminus, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham: Fili, recordare quod receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitor, tu uero cruciaris. Et super hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est: ut hi qui uolūt hinc transire ad uos, non possunt, neq; inde transcendere ad nos. Sicut dominus eiecit Adam Genes. 3. collocauit è regione paradisi, ut continuo aspectans, clarius sentiret à quantis bonis excidisset: sic & illum condemnauit in conspectu Lazari, ut uidens illum in qualibus esset, sentiret unde per inhumanitatem excidisset. Et propterea nō apud alium quendam iudicum, sed in sinu Abraham uidit Lazarum: quoniā hospitalis fuerat Abraham. Ut igitur reprehenderetur illius inhospitalitas, propterea illum apud Abraham uidet. Ille etiā eos qui præteribant, in domum suam trahebat: hic autem etiam intra domum iacentes despiciebat. At cur nō uertit sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham? Confundebatur fortassis, existimans forsitan & Lazarum uindictæ audire, & ex suis causis iudicabat illi: Si enim ego tanta felicitate fruens contempni illum, tantis malis coangustatum, & neq; micas ei communicauit: multo magis ipse contemptus uindictabit, & non annuet ut mihi beneficium concedatur, propterea ad Abraham facit sermonem. Putabat enim ignorare patriarcham, quæ contigissent. Quid igitur ille? Non dixit, Inhumane & crudelis, nō erubescis: misericordiæ nunc recordaris? Sed quomodo? Fili. Vide compatiētem & sanctum. Dicit enim & sapiens quidam: Animam humiliatam ne turbaueris. Et pro Ecclesi. 4. pterea etiam ipse dicit, fili. Insinuans per hoc eatenus sibi licere, quatenus tam benigne alloquitur, sed ulterius nihil ei licere. Quod possum, hoc tibi comunico, compatiētem scilicet uocem. At illinc transire non est nostrum: conclusa enim sunt omnia. Et tu quidem recepisti bona tua, ille autem mala. Et quare nō dixit, accepisti: sed, recepi? Recipere enim de his dicere solemus, qui suscipiunt quod eis debebatur. Discimus igitur, quod licet quidam facinorosi sint, & in extremam peruenerint malitiam, nonnumquam unum quoddam uel duo bona opera faciunt: unde & ipsi habentes bona quædam, quæ in præsentis uitæ prosperitate capiunt, recipere dicuntur. Similiter autem & Lazarus mala. Fortassis autem & ille unum uel duo mala commiserat, & propterea dolorem illum sustinens, dignam factis mercedem accepit. Vnde consolationem habet ille, tu uero cruciaris. Porro hiatus significat distantiam & differentiam iustorum & peccatorum. Nam sicut uoluntates eorum diuersæ fuerunt, ita & præmia multum inter se distant, unoquoq; recipiente ea quæ uitæ & uoluntati suæ congruunt. Obserua autem hoc loco cōtra Origenistas, dicentes quod tempus erit quo finientur impiorum supplia, & peccatores cum iustis coniungentur, & sic omnia in omnibus erit deus. Ecce enim audimus Abraham dicentem, quod hi qui uolunt hinc ad uos, uel illinc ad nos transire non possint. Sicut igitur impossibile est ex consortio iustorum quempiam transire in locum peccatorum: ita impossibile est, ut nos docet Abraham, transire à loco poenæ in locum iustorum. Abraham sanè fidedignior est quàm Origenes. Quid autem est infernus? quidam dicunt esse locum subterraneum tenebrosū. Alij autem transiitum animæ à lucido in obscurum: & immundum dicunt infernum. Quandiu enim in corpore est anima, apparet propter operationes suas: postquàm autem à corpo-

re emigrauerit, inuisibilis sit. Hoc igitur dixerunt esse infernū. Sinus autē Abrahæ uocant continentiam bonorum, quæ reposita sunt iustis, qui à tempestate huius maris ingrediuntur in portus coelestes. Quoniā & in mari sinus appellamus loca portubus, & quieti apta. Attende hic, quod in die illo qui alium iniuria afficit, uidebit iniuria affectū in quali gloria sit, & hic iterum illum in quāta cōdemnatione: sicut in hoc loco diues Lazarum, & Lazarus diuitem.

Ait autem: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domū patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Abraham: Habent Moysen ac prophetas, audiant illos. At ille dixit: Nō pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscunt. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. De rebus suis desperans propheta, pro alijs supplicat. Vide autem quomodo in supplicijs sensum alienæ infelicitatis capit. Et prius Lazarum despiciebat ante pedes iacentem, nūc aliorum absentium curam gerit, & obsecrat ut mittatur Lazarus ex mortuis in domum patris sui. Et non simpliciter ex mortuis quispiam, sed Lazarus: ut uideant eum coronatum, & in gloria & incolumitate, qui uiderant antea infirmum & cōtemptū: fiantque testes tanti miraculi, ac tantæ gloriæ spectatores. Nam perspicuum, quod si dignum fide præconem habuerint, & ipsos in gloria olim fuluros. Quid igitur Abraham? Habent Moysen. Nō sicut tu (inquit) curam geris fratrum, ita & deus qui illos fecit: innumeros enim illis præfecit doctores. At diues inquit: Pater. Nam quamuis ipse scripturas audiens non crediderat, & fabulas esse putarat ea quæ dicuntur: similiter se habere & fratres suos suspicatus est, & ex se iudicans dicebat, quod nō audituri sint scripturas, sicut neque ipse: sed si quis ex mortuis resurrexerit, credituri sint. Tales & nūc sunt, qui dicant: Quis uidit ea quæ in inferno? Quis uenit illinc, & annunciauit nobis? Sed audiant Abraham: Quoniam si scripturas non audimus, neque his qui ex inferno ueniunt credemus. Et hoc manifestarunt Iudæi, qui quia scripturas non audierunt, neque quum resurrexissent mortui crediderunt: sed & Lazarum occidere tentauerunt: & quum mortui multi resurrexissent crucifixo Iesu, magis tamen fauientes Iudæi inuasunt apostolos. Quia siquidem illud profuisset nobis ad fidem, etiam hoc sæpe fecisset dominus. Nunc nihil tam utile est, ut scripturarum diligens scrutatio. Mortuorum suscitationem false & apparenter facere potest etiam diabolus, ut seducat imprudētes, seminans doctrinas de inferno dignas sua malitia: at eis qui scripturas probe scrutantur nihil potest illudere. Illæ enim sunt lucerna & lumen, quod lucente fur deprehenditur & manifestatur. Illis igitur credendum, & de mortuorum suscitatione non curandum. Posset autem parabola hæc & per allegoriam exponi. Et ita dicere, quod per diuitem populus Iudæorum significetur. Diues enim ille fuit olim, locupletatus omni cognitione & sapientia, & sermonibus dei, qui super aurum & lapidē
 1. Pet. 2. preciosum: sed & purpura & bysso indutus erat, regnum habens & sacerdotium, & regale erat sacerdotium deo. Significat autem purpura quidem regnum, byssus uero sacerdotiū. Nam Leuitæ byssinis sacerdotalibus uestimentis induebantur. Epulabatur autem quotidie, & uiuebat splendide. Quotidie enim offerebant sacrificium matutinum & uespertinum, quæ & εὐδελχισμός, hoc est iuge sacrificium nominabant. Lazarus uero, populus gentilium fuit: pauper, diuina gratia & sapientia: & ante fores iacens, non enim licebat gentilibus intrare in domum: pollutio enim uidebatur, sicut in Actūs apostolorum clamant in Paulum, quod gentiles introduxerat in templum, & communem fecisset sanctum illum locum. Insuper & hulceribus peccatorum foetū plenus erat ille populus, & impudentes canes diabolos pascebat suis hulceribus. Voluptati enim illis sunt nostra hulcera. Desyderabat item & micæ decedentes à mensa diuitis. Omnino enim carebat pane, qui confirmat cor hominis: & minimo tenuique cibo egebat, sicut & Chananæa mulier quum ethnica esset, de micis saturari cupiebat. Quid multis: Mortuus est Hebraicus populus deo, & mortua sunt illorum ossa, quæ ad bonum faciendum non mouentur. Mortuus est autē & Lazarus peccato, gentilis inquam populus. Et Iudæi quidem qui in peccatis suis mortui sunt, in flamma inuidiæ exuruntur zelantes, ut
 dicit

psal. 103.

Matth. 15.

dicat Apostolus, quod gentiles assumpti sint ad fidem: qui autem prius pauper & ignobilis populus gentilis, in sinibus Abraham patris gentium uersetur. Merito. Etenim & Abraham quum gentilis esset, credidit deo, & ex idolorum cultu ad dei agnitionem transiit. Proinde qui participes sunt translationis eius & fidei, iure & in sinibus eius quiescunt, eundem finem, & habitationes, & susceptionem bonorum sortiti. Et cupit Iudaeorum populus unam guttam de asperisionibus & purgationibus priscis legalibus, ut refrigeretur eius lingua, & possit confidenter loqui nobis, quod lex sit efficax & operetur: sed non est. Lex enim usque ad Ioannem. Et sacrificium (inquit) & oblationem noluit, ac caetera. Et Daniel: Exterminabitur unctio. Et signari prophetas, hoc est cessaturos esse & concludendos praedixit. Tu autem & moraliter parabolam expone. Et ne quum sis diues in malo, mentem tuam famelicam praetereas, neque despicias in humum proiectam, & quum facta sit, ut sursum tendat ante fores iacentem: sed introduce eam intro, & non stet foris, nec uiagetur, nec iaceat, sed operetur. Et sic ea quae mentis, operari, & non solum in carne delicia non poteris. Facile fuerit etiam alia quae in hac parabola sunt ad morum utilitatem exponere.

Psal. 39.

CAPUT XVII.

Dixit autem ad discipulos: Fieri non potest, quin ueniant offendicula: Vae tamen illi, per quem ueniunt. Expedit illi, si mola asinaria ponatur circa collum eius, & proiectus fuerit in mare, potius quam ut offendiculo sit uni de pusillis istis. Cauete uobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si poenituerit, remitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Poenitet me: remittas illi. Quoniam pharisaei auari obmurmurabant contra dominum de paupertate loquentem, quibus & parabolam dixit de diuite & Lazaro: ostendens eis per illam quanta propter amorem diuitiarum supplicia passuri sint: dicit nunc ad discipulos de illis pharisaeis: manifestans eos esse scandalorum auctores, & impediētes a uia dei, & propterea uae eis infligendum. Videamus igitur quid dicat. Fieri non potest, ut non eueniant scandala, hoc est impedimenta bonae, deoque placitae uitae. Necesse enim propter malitiam hominum multa impedimenta praedicationis & ueritatis inueniri. Vae autem illi per quem ueniunt, id est illi qui ea facit: quales sunt pharisaei, qui ostendunt & prohibent praedicationem. Quare igitur condemnas domine, & miseros dicis eos qui scandala faciunt, si ex necessitate illa eueniant? Omne autem quod necessarium, hoc & uenia dignum. Sed audi, quod necessitas illa ex uoluntate habet initium, & ita dicere uult dominus, uidens malitiam hominum qui tunc erant: proni erant in omne malum, nihilque bonum eligeant: quod quantum ad consequentiam eorum quae uidentur, necesse sit uenire scandala. Malitia igitur cui student homines, ex uoluntate est. Operatio autem offendiculorum necessario malitiam comitatur, & ita propter hoc & puniendi sunt scandalorum auctores. Et age dicamus exempla: Videns quempiam malam dietam seruare, & insatiabilem esse, dicit: Necesse est illum agrotare. Num igitur morbus necessarius? Etiam, quatenus adseruat malam dietam. Propterea uae his qui praedicationem impediunt, eo quod in tantam peruenerunt malitiam, ut & necessario eueniant scandala. Et expediret homini scandala & offendicula facienti, molam asinariam in collo eius appendi, & proijci eum in mare, quam unum ex pusillis fidelibus scandalizari & subuerti. Ideo munit discipulos suos, & dicit: Cauete uobis. Ecce (inquit) praedico uobis, quod uenient mala. Inexcusabiles estis. Necesse enim ut eueniant illa, non necesse autem uos perire, siquidem muniueritis & armaueritis uos. Necesse enim est uenire lupum: sed si uigilauerit pastor, non necessarium est perire oues, sed lupo frustra hians abibit. Dixit igitur haec de his qui offendunt, hoc est impediunt & nocent. Quoniam autem multae horum differentiae. Nam alij quidem sunt incurabiles, quales pharisaei: alij uero sanabiles, quales fratres domini erga dominum ipsum: nam neque ipsi credebant in eum. Quia igitur multae impediētiū differentiae: uerisimile est quosdam qui idē credant tales esse, & propterea dicit: Si peccauerit in te frater tuus, argue eum tu solus, & seorsum: & siquidem audierit te, lucratus es illum